5

Ego Johannes Beyer archidiaconus tt. Sancti Lubentii in Dietkirchen in ecclesia Treveren. Notum facio universis quod
archidiaconatum meum predictum et omnem eiusdem archidiaconatus jurisdictionem cum iuribus redditibus proventibus et emolumentis
universis a Reverendissimo in Christo patre et domino domino Jacobo sancte Treveren. ecclesie archiepiscopo Sacri Romani Imperii per Galliam
et Regnum Arelaten. archicancellario domino meo gratiosissimo ad cuius collacionem provisionem seu qualibet alia dispositionem ipse
archidiaconatus meus pertinet pleno iure recepi ac me recepisse recognosco per presentes iuravique solempniter tactis scripturis
sacrosanctis atque hiis scriptis iuro quod ab hac hora in antea fidelis ero prefato Reverendissimo domino meo archiepiscopo suisque
successoribus et ecclesie Treveren. ipsorumque personas res iura statum et honorem eorum presentes et futuras fideliter promovebo
et pro posse defendam periculum sive dampnum ipsorum non tractabo nec tractari procurabo verbo vel facto et tractantibus non
dabo consilium auxilium vel favorem. Quod si quempiam aliquid horum tractare vel procurare sensero quantocius potero
indicabo consilia et secreta eorum michi credita fideliter retinebo et nulli ad eorum dampnum vel contumeliam pandam archi-
diaconatum meum et ipsius iura et libertates fideliter manutenebo et deperdita pro posse recuperabo nec de hiis aliquid alienabo
sine domini mei archiepiscopi predicti licencia et consensu expressis clerum michi subiectum [illegible] et iuribus suis debitis et consuetis
fideliter conservabo iuxta posse nec eundem arctabo aut arctari permittam contra hoc quod per ipsum circa suos archidiaconos
predecessores meos ab olim fieri est consuetum prefato domino meo archiepiscopo suisque successoribus serviam et obediam in omnibus
licitis et honestis. Contra premissa seu aliquod eorum non impetrabo relaxacionem seu dispensacionem a domino meo papa vel
alia quacumque persona quacumque etiam prefulgeat dignitate nec utar impetratis vel impetrandis etiam si proprio motu forent
concessa sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia. In cuius rei testimonium Sigillum meum presentibus litteris est appensum
Datum in profesto beatorum Petri et Pauli apostolorum Anno domini Millesimoquadringentesimoquinquagesimoquinto

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 5

5

Ego Johannes Beyer archidiaconus tt Sancti Lubentii in Dietkirchen in ecclesia Treverensi Notum facio universis quod
archidiaconatum meum predictum et omnem eiusdem archidiaconatus Jurisdictionem cum Juribus redditibus proventibus et emolimentis
universis a Reverendissimo in christo patre et domino domino Jacobo sancte Treverensis ecclesie archiepiscopo Sacri Romani Imperii per Galliam
et Regnum Arelatensis archicancellario domino meo graciosissimo ad cuius collacionem provisionem seu qualibet alia dispositionem ipse
archidiaconatus meus pertinet ipso Jure recepi ac me recepisse recognosco per presentes Juramusque solempniter tactis scripturis
sacrosanctis atque hiis scriptis iuro quod ab hac hora inantea fidelis ero prefato Reverendissimo domino meo archiepiscopo eiusque
successoribus et ecclesie Treverensis personas res iura statum et honorem eorum presentes et futuras fideliter promovebo
et pro posse defendam periculum sive dampnum ipsorum non tractabo nec tractari procurabo verbo vel facto et tractantibus non
dabo consilium auxilium vel favorem Quod si quempiam aliquid horum tractare vel procurare sensero quantocius potero
indicabo consilia et secreta eorum michi credita fideliter retinebo et nulli ad eorum dampnum vel contumeliam pandam archi-
diaconatum meum et ipsius iura et libertates fideliter manutenebo et deperdita pro posse recuperabo nec de hiis aliquid alienabo
sine domini mei archiepiscopi predicti licencia et consensu expressis clerum michi subiectum in honoribus et Juribus suis debitis et consuetis
fideliter conservabo iuxta posse nec eundem arctabo aut arctari permittam ultra hoc quod per ipsum circa suos archidiaconos
predecessores meos ab olim fieri est consuetum prefato domino meo archiepiscopo eiusque successoribus serviam et obediam in omnibus
licitis et honestis Contra premissa seu aliquod eorum non impetrabo relaxacionem seu dispensacionem a domino nostro papa vel
alia quacumque persona quacumque etiam prefulgeat dignitate nec etiam impetratis vel impetrandis etiam si proprio motu forent
concessa Sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia In cuius rei testimonium Sigillum meum presentibus literis est appensum
Datum in profesto beatorum petri et pauli apostolorum Anno domini Millesimoquadringentesimoquinquagesimoquinto

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 5

D2

Archidiacon: D. Bayer

Juramentum D. Joannis Beyer Archidiaconi in Dietkirchen

Em^mi Trevir. praestitum

R^ta

Anno 1455

N. 2. fasc. 1.

Juramentum [illegible] Jo. Beyer archidiaconi [illegible]kirchen

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 5